ANTONII IVANI SARZANENSIS VITA SCRIPTA AB ANTONIO BERTOLONIO EQ...

Antonio Bertoloni, Antonio Ivani

ENEBELLI.

I.

Antonius Ivanus Nicolao patre Sarzanensis, etsi familia hæc olim Briniate profecta, natus est anno 1430, ut patet ab anno 1466, quo Volaterras venit annum agens trigesimum sextum ætatis suæ. Primo applicuit ad studium litterarum neque sine laude. Annum agens decimum nonum Narniam se contulit arcessitus ab Joanne Petro Parentucellio Narniensium præfecto, Nicolai Quinti Pontificis Maximi patrueli. Ibi cognovit Ippolitum Medusæum litteratum virum, et Adoardum Spoletinum jurisconsultum, qui a Parentucellio magni habebantur, et apud eos moribus suis conformandis, doctrinisque assequendis enixe studuit. Ætate provectior obtinuit a Pontifice per Philippum Calandrinum Cardinalem, et Nicolai Quinti ex matre fratrem, ut officium scribæ illius municipii ei demandaretur. Stetit biennio in hoc munere, quo absoluto, Sarzanam reversus est, ubi tunc Fregosii dominabantur. Thomasinia avia Thomæ Fregosii Jani filii provinciam regebat, quæ cum nepotem Ferrariam vellet mittere ad aulicos mores perdiscendos, comitem ei dedit Ivanum. Florebat tunc temporis Ferrariæ Baptista Guarinus vir magni nominis. Ivanus statim ad eum accessit, Accademiam ejus frequentavit, lectionesque per annum integrum audivit. Post hæc Sarzanam reversus permansit apud Ludovicum Fregosium tunc regionis principem, quem Genuenses postea in ducem suum elegerunt, cum anno 1449 mortuus esset Janus Dux frater ejus. Ludovicus Genuam petens Ivanum secum duxit, et scribam ab epistolis suis constituit; sed anno 1450. Genuenses de more tumultuantes ducem deposuerunt, et detinuerunt,

neque Ivanus in calamitate Ludovici periculo caruit, qui etsi a Genuensibus ob probitatem suam magni factus, imo etiam civitate donatus (a) bis captus est, et in ædes principis deductus, sed postea, intercedentibus probis viris, liberatus. Tunc recepit se in domum Joannis Galeatii Fregosii, ubi per Jacobum Laudensem a Ludovico sciscitari potuit, quid ei in tanto infortunio faciendum esset. Ludovicus respondit, ut ad agrum Lunensem accederet, ibique cum genitrice sua provideret, ne quid mali oppidanis eveniret. Cum de modo discedendi cogitaret, venit ad eum amicus, qui monuit, Gubernatores Reipublicæ vasa argentea, et gemmas Ludovici querere, et putare se posse per Ivanum reperire. Hac ne audita, non amplius cunctandum esse censuit, et cymba Moniliensi clam ad Lunæ portum, et Sarzanam maturavit, quo cum pervenisset, illico sollicitus fuit de jussis a Ludovico acceptis. Equidem se transferre voluisset ad præcipuos regionis vicos, ut incolas cohortaretur, et in devotionem Principis retineret, sed doloribus artus impeditus, cum Genuæ e scalis palatii publici inter fugiendum lapsus esset, scripit ad vicorum magistros, ut nonnullos ex incolis ad se mitterent, quibuscum de rebus agendis pertractaret. Die postero arcem Sarzanelli, ut ut potuit, adivit, ut Thomasiniæ Ludovici matri ea, quæ Genuæ contigerant, aperiret, simulque moneret de jussis a Ludovico acceptis; secum venerunt etiam oppidani ab eo arcessiti, quos Thomasinia sciscitans quid vellent, responderunt, se ab Ivano vocatos esse. Eadem extemplo in suspiciones lapsa, quia animi ferventis erat, jussit, ne daretur Ivano abeundi facultas. Interea Antonius Corniliensis quidam a Thomasinia vocatus Sarzanam cucurrit furentis instar, ut oppidanos ab Ivano diverteret, quem dicebat esse proditorem. Sarzanenses, qui probitatem Ivani bene noverant, primo stupuerunt, mox de dictis Cor-

---

(a) Errat Bonaventura De Rubeis in *Collett. MS. di Luni e Sarzana lib.* 3. *cap.* 12., ubi dicit: » L'Ivani si acquistò » la grazia, e l'amicizia della Repubblica di Genova, dalla » quale fu ascritto al corpo della Nobiltà. » Aliud enim est civitate donari, aliud Nobilibus adscribi.

neliensis riserunt, et cum risu dimiserunt. Interea Thomasinia, cum ab Ivano accepisset jussa Ludovici, et audisset, quæ Genuæ contigerant, pacata animo Ivanum in gratiam iterum habuit, et libere dimisit cum reliquis, qui secum venerant, postquam de securitate regionis cum iis pertractasset.

Eodem tempore Pontianenses impulsu Jacobi Malaspinæ Marchionis a Fregosiis defecerunt, et arcem proximam, quæ in monte *Brina* erat, obsederunt. Ivanus ut hæc audvit, illuc concitato equo advolavit, ut cognosceret, si facultas daretur obsessis succurrendi. Magna quidem caterva suorum sequebatur eum, quæ cum nullum ordinem servaret, nulliusque imperio pareret, repulsa est, arx expugnata, castellum Pontiani ammissum. Rebus desperatis, Fregosii ad Magistratum Florentinum confugerunt, ut Pontianensium tumultus sedaretur, et Pontianum recuperaretur. Ivanus Florentiam missus est ad Fregosiorum rationes sustinendas, qui quidem litteras a Magistratu Florentino obtinuit, quibus Pontianensibus jubebatur, ut arma deponerent, sed negotium de Pontiano reddendo dilatum, ut pacifice pertractaretur, et pertractatum quidem fuit, sed nunquam finitum, licet querelas, et rationes Malaspinæ Ivanus rejecerit, et effecerit, ut oratores erubescerent, et alii præclari jurisconsulti Bartholomæus Castanea, et Petrus Joannes Forocorneliensis jura Fregosiorum acerrime defenderent. Re igitur infecta, Ivanus Sarzanam rediit, et jam perceperat, litem hanc nisi per Mediolanensium ducem dirimi posse.

Dum hæc Florentiæ contingerent, Cardinalis Sanctorum quatuor coronatorum Ivanum petiit pro scriba ab epistolis suis, qui Frogosios deserere nolens recusavit.

Interea Ludovicus Fregosius Sarzanam reversus ipse quoque perpendit, litem de dominio Pontiani per Mediolanensium Ducem posse tantum judicari, misitque Ivanum oratorem ad Franciscum Sfortiam, ut de Pontiano sibi reddendo, et de amicitia cum Sfortia firmanda pertractaret, quas res feliciter obtinuit.

Erat Genuæ apud Ludovicum Ducem Borella quidam, alter ex scribis ejus, vir callidus, animique pravi,

qui Genuæ comiter cum Ivano egerat, quia noverat, quanta benevolentia Dux prosequeretur eum; sed cum Sarzanam venisset, et apud Ludovicum permansisset, Ivanum publice detrectare cæpit, imo etiam subdole apud ipsum Ludovicum, præsertim dum Ivanus hactenus apud Sfortiam esset. Novit Ivanus, et ægre tulit, et pluries de iis cum Ludovico questus est, et forte ab eo tempore cæpit dissidium inter eos; sed Ludovicus misit in Corsicam vicarium Thomæ nepotis sui, et Jani filii, tunc enim Fregosii de Corsica ab Officio S. Georgii subducenda contendebant. Ibi quatuor menses permansit, et eo libentius, quia secum erat Joannonus affinis suus, qui hand modicam habebat apud insulanos gratiam; tandem asperitate insulæ, et corruptis Corsorum moribus fastiditus Sarzanam rediit. Scripsit vero epistolas duas de rebus Corsis, alteram ad Ciccum Simonetam Ducalem Secretarium, ad Nicolaum Lucensem alteram, utramque legi dignam (a).

Idem Thomas, cum anno 1464 iterum esset Sarzanæ, per tabulas Antonii Allioti Ivani in castro Sarzanelli scriptas die vigesima sexta Maji (b) constituit Ivanum oratorem suum ad Pium II. Pontif. Max., ut » apud eum pertractaret, et componeret, quæ perti- » nebant ad dominium Corsicæ, ad vendendum, et con- » signandum ei castrum, et fortilitium Beguliæ, castrum » Curtis, et omnia jura, actiones, titulos, et dominia » insulæ Corsicae cum mero et mixto imperio, et gla- » dii, et alia omnimoda potestate », de que re nulla fit mentio in codicibus Ivanianis, ideo infectam fuisse suspicor, præsertim quia Thomas anno 1477. Thelamone solvens cum trecentis militibus rediit in Corsicam, et terram Beguliæ, quæ tunc erat sub Francisco Sfortia Mediolanensium duce, occupavit (c), quam postea inconstantia plurium, qui metu subsidiariæ classis animum mutaverant, cessit eidem duci sub conditione li-

(a) Vide has litteras in Appendice nostra.

(b) Hæ tabulæ extant Sarzanæ in tabulario Notariorum, quod nunc est apud officium regium dictum *Delle insinuazioni in Protocoll. lib.* 1. *ann.* 1453-1455.

(c) *Giustinian. Annal. di Gen. p.* 235.

bertatis suæ; debuit tamen ire Mediolanum ad ipsum ducem, ut dominium Corsicæ impetraret, et obtinuit.

Volaterrani eo tempore scribam querebant pro Republica sua, mosque erat, ut scribæ litteris latinis præstarent, quæ laus Ivano non deerat. Dissensiones inter Fregosios tunc erant ortæ, quas Ivanus frustra componere studuit, quibus, et præsertim Borellæ contumeliis fastiditus animum convertit ad illud munus apud Volaterranos consequendum; abeundi licentiam a Ludovico petiit, postquam per annos quatuordecim ei inservisset, et Ludovicus opera ejus usus esset non minus in negotiis propriis, quam apud Principes, semperque fidelem habuisset. Itaque et meritis suis, et commendationibus Petri Medices, nec non Philippi Calandrini Cardinalis a Volaterranis in scribam electus anno 1466. Volaterras venit, et munus assumpsit, sed res humanæ non semper secundæ sunt; nam jam ab anno altero post adventum suum in infortunium inciderat, quo Joannes Philippus filius ejus natu major a piratis captus est, et Spediam ductus, nec nisi multa pecunia liberari potuit. Non valuerunt preces patris apud Galeatium Mariam Sfortiam Mediolani Ducem, non apud Sanatum Mediolanensem, non apud Secretarios Ducales, ut ab inexorabili Spediæ præfecto pecuniæ extortæ restituerentur. Eodem anno pestis Volaterras invaserat, quæ anno insequente magnopere sæviit. Primores civitatis fugerant, plebs deterrita. Ivanus patienter calamitatem ferebat, peste infectos continuo præ oculis habebat; licentiam in agrum Volaterranum secedendi petiit, quæ primo denegata, denique concessum est, ut iret, quo vellet, et abiit scribam adjutorem relinquens ad negotia minoris momenti obeunda. Senas venit, deinde Florentiam, et Pisas, ut his locis facile sciret, qui esset morbi progressus. Qninquaginta dies per hospitia transegit, cumque novisset pestem augeri, imo in agri Volaterrani vicos irrupisse, Sarzanam se recepit. Ibi post tertium ab adventu suo mensem pervulgatum est, morbum cessasse, qua re audita, Volaterras rediit, sed falsa fuit notitia pervulgata. Tunc a Prioribus magistratus quid ei faciendum esset sciscitatus, responsum est, ut castellum *Pomarancie* dictum peteret, petiitque. Peste

post duos menses cessata, Volaterras sollicite reversus est. Sex menses abfuerat ab officio suo Superiorum permissu, tamen invidia paucorum stipendium ei denegatum, dum Prætori urbano, aliisque, qui sine permissu abierant, concessum, quæ res Ivano summopere displicuit.

Pestis Volaterris desierat, at nova, pejorque a discordia civium orta est. Ager Volaterranus alumine dives erat, sed Volaterrani de eo non curabant. Benuccius quidam Senesis petiit, ut illud explodere sibi liceret. Magistratus concessit pretio annuo librarum centum pro annis quinquaginta. Is sibi consociavit Benedictum Ricobaldum, et Paulum Inghiramium Volaterranos, insuper Florentinos, et Senenses aliquot. Fodinas aperuerunt, et magnam vim aluminis repererunt, a qua lucrum ingens obtentum. Nonnulli e Volaterranis, qui erant in Magistratu, invidia in conductores, præsertim eos, qui erant e civibus suis, operam dederunt, ut pacta conventa infringerentur. Lis cum conductoribus oborta, oppidani in partes divisi, iræ accensæ. Ivanus enixe studebat, ut contentiones amice componerentur, proponebatque, ut pro libris centum aluminis floreni mille annuatim solverentur. Fodinarum conductores pacem cupientes annuebant, sed pars adversa recusabat, et eo violentiæ ventum est, ut operarii per armatos homines a fodinis ejicerentur. Tunc conductores ad Magistratum Florentinum confugerunt, qui jussit, ne a fodinis dimoverentur. Id adversariis non placuit, parere noluerunt, contentiones auctæ.

Ivanus de his alte dolebat, et Volaterranis valedicere constituit, occasione arrepta, quæ ei se obtulerat. Poscebat enim Thomas Fregosius, ut sibi adjutorem Veronæ haberet, ubi domicilium statuerat, quæ res Ivano placuisset, sed quærebat eum etiam Ludovicus Fregosius, qui Senis morabatur, postquam anno 1467. Sarzanam Florentinis vendiderat, et volebat mittere cum Augustino filio suo Neapolim, ut is moribus aulicis imbueretur. Ivanus officio scribæ apud Volaterranos renuntians abeundi licentiam a Magistratu petiit, quæ adeo in longum dilata, ut Thomas Fregosius moræ impatiens alium adjutorem sibi comparaverit. Quare Ivanus Lu-

dovico assentitus est, et, omni vinculo cum Volaterranis soluto, Senas venit. Volaterrani increpabant eum, vexabant, calumniabantur, quod tabulas de pactione cum fodinarum conductoribus subduxisset. Volaterras iterum se contulit, ut a contumelia se purgaret, et ostendit, hujusmodi tabulas octoviris ad componendas lites delectis tradidisse, et Volaterris discedens Prioribus civitatis id postulantibus librum Reformationum, et capitula authentica reliquisse; novit vero, librum hunc post discessum suum fuisse inquinatum, ne pacta conventa paterent. Petrus Contugius, ut invidiam in Ivanum augeret, publice jactabat, Ivanum in locatione fodinarum pecunia fuisse corruptum, et nummos aureos quinquaginta a Benuccio accepisse, de qua accusatione Ivanus se purgavit ostendens, se in tabulis rogandis nummos aureos quinque, non quinquaginta accepisse, præsente, et teste Augustino Ricobaldo.

Reversus Senas in novam adversitatem incidit. Nam Ludovicus Fregosius, mutato consilio, filium ab aula ad militiam divertere constituit, et misit Forolivium ad Hyeronimum Riarium affinem suum Foroliviensium Principem. Ivanus venit cum Augustino Turritam usque, ubi in vehementem controversiam inter incolas, et milites offendit, stetitque medius, ut ipse ait, inter tela pacem obsecrans, quam obtinuit, sed cum esset militiæ aversus, et de recenti conflictu turbatus Augustinum sequi noluit, et ab eo, et a Ludovico abscessit. Ludovicus tunc dure cum illo se gessit, denegavit prædiolum in agro Sarzanensi, et stipendium perpetuum, quas res ei spoponderat, denegavit stipendium sex mensium, quos apud eum novissime transegerat, aliaque denegavit. Ivanus Romam petiit, ut ibi officium aliquod sibi compararet. Placuisset esse in curia, et scriptorem Apostolicum fieri, sed ad id obtinendum pecunia carebat, frustra mutuum a Ludovico quæsierat, petere cogitabat a Laurentio Medices per Donatum Acciajolum, verum, labente tempore, occasionem rei assequendæ amisit, et Sarzanam reversus est, ubi stetit.

Eo absente, controversiæ Volaterranæ nunquam ab animo ejus deciderant. Tam Senis, quam Sarzana ad amicos Volaterranos, imo ad ipsum Magistratum

repetito scribebat, ut res pace componerent, ne Rempublicam Volaterranam tam insignem, tam antiquam mali cives perderent. Monebat, Florentinos hæc non ultra passuros, non passuros Principes Italiæ, qui, si opus esset, opem Florentinis allaturi. Ipsemet Magistratus Florentinus omnibus officiis utebatur ad pacem, et æquitatem Volaterranis suadendas. Tumultuosi corde obdurati, viribus suis, propugnaculisque oppidi fidentes, nec non legioni Venetæ, quam scripserant, in plenam insurrectionem irruperunt. Tunc Florentini de iis submittendis cogitarunt, struxerunt exercitum, auxilium Principum, copias præsertim Ducis Urbini, Ducis Mediolanensis, Pontificis, et Senensium obtinuerunt, præterea tormenta bellica, machinas, et omnia ad bellum necessaria sibi compararunt. Præfecerunt exercitui Federicum Roboretanum Urbini Ducem, virum in peritia rei militaris perinsignem, qui, occupatis Volaterranorum castellis, ad obsidendum oppidum accessit, omnibusque difficultatibus superatis, expugnavit. Exercitus per murum tormentis bellicis effractum irrupit in oppidum introductus ab ipso legionis Venetæ duce, qui Volaterranorum proditor Federico se adjunxerat cum militibus suis. Tunc tota urbs, et suburbia miserrime direpta, et depopulata, undique luctus, et horror.

Tantæ calamitatis notitia cum ad Ivanum pervenisset, a lacrimis se continere non potuit, et statim scripsit Laurentio Medices, ut opem, et clementiam ejus erga Volaterranos imploraret, cui Laurentius respondit, Volaterranos Florentina clementia non carituros, jamque duo millia scutatorum ad eos missa, ut res direptas possent redimere, se autem rationibus Ivani adductum nihil prætermissurum, quod ad bonum, et tutelam Volaterranorum pertineret, habuitque ei gratias, quod tam amice, et officiose sollicitaverit (a).

Sed redeamus ad Ivanum Sarzanæ commorantem. Carus erat civibus suis, qui in Consilio Municipii receperunt, et honoribus cumularunt, cum in alterum delegissent ex quatuor Antianis, qui Magistratum primum, et præcipuum civitatis sistebant, et illo usi sunt,

(a) Vide utramque epistolam in Appendice nostra.

ut Mediolanum mitterent ad tutandam libertatem ostii Macræ pro mercibus, et navigiis, pluries quoque Florentiam miserunt ad negotia civitatis pertractanda, a quibus officiis omnibus semper rediit obsecundatus, exauditus. Horis subsecivis, ne otio langueret, agello colendo vacabat, quem habebat in monte armorum (*Montedarme*), et quo plurimum delectabatur (a).

Interim Ludovicus Carrega scripsit ad eum esse Genuæ Baptistam Burgarum, qui cuperet ducere secum Romam, sed causum non aperiebat. Ivanus putavit, id fuisse desiderio Joannis Baptistæ Cybo Episcopi Saonensis, et Datarii Apostolici, qui postea fuit Innocentius octavus Pontif., sed incertus de re, neque pecunia affluens ire voluit. Volaterrani quoque Florentinis submissi officium scribæ ei iterum obtulerunt promittentes solvere ei reliquum stipendium, quod adhuc debebant, sed non annuit. Petiit vero opem Thomæ Fregosii, ut munus aliquod obtineret apud Ferrariensium ducem, nec obtinuit. Pistorienses, qui scribam pro municipio suo querebant, quibus doctrina Ivani erat perspecta, scribam pro quinquennio delegerunt, quamvis munus hoc annuatim concedere solerent. Itaque anno 1476 decedente Pistorium venit, et Sex. Kal. Jan. munus assumpsit, et, quinquennio in hoc munere elapso, pro altero anno bis confirmatus. Puto Laurentium Medicem in hac re eum adjuvisse, et certe adjuvit ultima vice, ut patet ab epistola ad Magistratum Pistoriensem a Laurentio data, quæ in tabulario Pistoriensi asservatur. Sed denique tot animi, et corporis laboribus confectus anno 1482. Pistorii mortuus est. Id mihi innotuit per chartas illius tabularii; nam ultimæ tabulæ ab Ivano exaratæ pertinent ad Quart. Id. April. ejusdem anni. Post has habetur libellus supplex filii ejus ad Tert. Non. Maj, quo mercedem petebat patri suo decesso debitam, et obtinuit, de quibus omnibus certior factus fui ab Augustino Fantonio provinciæ Pistoriensis præfecto.

(a) Hactenus dignoscitur, ubi esset agellus iste, a spelunca, quam Ivanus in eo describit in Epist. n. 217. codicis primi, scilicet in loco, qui vocatur *Triboli*, et pertinet ad partem inferiorem montis armorum.

Uxorem duxerat, a qua habuit filios duos mares, et fœminam. Primus marium Joannes Philippus rei domesticæ vacabat. Caspar, qui fuit secundus, litteris operam dedit, et fuit aliquo tempore Mediolani apud Nicodemum Trincadinium Ducalem Secretarium, postea Romam venit, et ibi, assentiente patre, sacerdotium assumpsit. Pater vixit annos quinquaginta duos, a doctis, probatisque viris magni factus. Egit per apistolas cum viris dignitate, et doctrina præstantibus. Ita habendi Philippus Calandrinus Cardinalis, Nicolai V. Pontif. consanguineus, Antonius Maria Parentucellius Episcopus Lunen. Sarzanensis Referendarius Apostolicus, Joannes Baptista Cybo Episcopus Saonensis, deinde Datarius, demum Pontifex sub nomine Innocentii Octavi, Cosmas, Petrus, Laurentius, et Julianus Medices, Borsus Marchio Ferrariensis, Joannes Galeatius, Ludovicus, Augustinus, Thomas Fregosii, Federicus Monferetranus Dux Urbini, Hyeronimus Malaspina Marchio, Cæsar Bonapartes, Marsilius Ficinus, Matthæus Palmerius, Donatus Acciajolus, Jacobus Bracellius, de quo habeo epistolam ineditam ad Ivanum (a), Joannes Della Porta, Nicodemus Trincadinius a secretis Ducis Mediolanensis, Bartholomæus Scala a secretis Reipublicæ Florentinæ, Lilius Tifernates, Nicolaus Nocetus, Nicolaus Gambarellus, Nicolaus Michelottus, Joannes Petrus Leostellus, Otho Nicolinius, Justus Contugius, Gabriel Ricobaldus, Ippolytus Medusæus, Petrus Puritates, aliique.

Scripsit plures epistolas latinas, easque credidit codicibus duobus, quas inter nonnullæ ad historiam temporis sui pertinent magni faciendæ. Sunt quoque, quæ descriptionem oppidorum ferunt, scilicet de Luna, de Volaterris, de Genua. Meminit de impressione librorum primum inventa. Retulit inscriptionem Jovi Sabatio dicatam, quam dicit Lunæ repertam, eique addidit interpretationem Medusæi, sed vereor, ne sit apocripha. Loquitur de colonia a Romanis Lunam deducta. Sapientiam Baptistæ Guarini extollit, et pompam

(a) Vide eam in appendice nostra.

funebrem, qua a Ferrariensibus elatus fuit, describit(a). Laudat consilium Florentinorum de oppido Sarzana cum arce Sarzanelli per murum conjungendo, sed res infecta permansit. Non neglexit res physicas ad agrum Ligusticum, et Volaterranum pertinentes. Sed longum foret dicere de omnibus, de quibus in epistolis suis pertractavit. Attamen non sileam de epistola ad Petrum Puritatem, quæ quidem deest in codicibus Ivanianis meis, sed extat in codice membranaceo tabularii Cathedralis Novariensis, ut refert Andres in epistola ad Jacobum Morellium (b), unde mihi comparavi transcriptam (c). Hæc fert oratione soluta poesim Italicam Leonardi Patavini de Lunæ excidio per Danos, postea ab Alberto Krantzio, aliisque diversimode narrato (d) sed commentitio, et ad fabulam equi Trojani quodammodo concinnato. In tabulario Capituli Lunensis-Sarzanensis extat codex membranaceus, qui fert chronicon Imperatorum Romanorum ab Augusto ad annum 1251, et Pontificum a Beato Petro ad annum 1248. In hoc habetur tantum, quod anno DCCCXIIIJ. Saraceni devastarunt Italiam, et anno DCCCLXXLX. Dani Galliam invaserunt. Nulla mentio in eo fit de Danis, vel Normannis, qui Lunam occupaverint, et devastaverint, aut deleverint, neque credibile est, scriptorem chronici Lunensis de re tam insigni silere voluisse.

Scripsit quoque opuscula philosophica, et moralia sub epistolarum forma, quæ ita sunt

1. De claro adolescente instituendo ad Augustinum De Campofregoso, sed ad eum non misit ob mutationem principatus Fregosiorum, ut ipsimet scribit in epistola ad Joannem

---

(a) Vide in appendice nostra epistolam Ivani ad Hyeronimum Abbatem Malaspinam.

(b) Andres. Lettera al Morelli, Parma 1802. p. 15.

(c) Obtinui per Abbatem Gazzera subbibliothecarium Taurinensem. Vide in appendice nostra.

(d) Krantz. Regnorum Aquitaniæ, Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ Chronica Francofurti ad Mœnum apud Wechelium 1575. in Norvegiæ lib. 2. cap. 3. et 4. p. 355. 356.

Della Porta (a), quod opusculum aufugit Odericum, licet præ manibus haberet codicem Ivanianum primum, in quo reperitur. Extat pariter in tabulario Cathedralis Novariensis, ut tradit Andres.

2. Del governo della famiglia civile a Maria sua moglie. Epistola italico sermone scripta, quam edendam curavi Bononiæ typis Jacobi Marsilii 1825.
3. De Fortuna ad Joannem Franciscum Sarzanensem.

   Landinellius, De Rubeis, Odericus, Andres erronee putarunt inscripsisse Marsilio Ficino.
4. De justicia Dei ad Joannem Franciscum Sarzanensem.
5. De temperamento victoriæ, et moderatione animorum, quod opusculum nulli inscripsit.
6. Della possibile cognizione dell' Onnipotente Iddio, e della contemplazione salutifera dell' anima procedente da esso. A Rosso di Matteo Ciaretani Fiorentino.
7. De falsa et vera felicitate. Ad Antonium Bargellinum.
8. De felicitate. Ad Ioannem Gianottum.
9. Cur humanum genus propensius labatur ad vicia, quam facile sit ad virtutes. Ad Dominicum De Bartolis civem Florentinum. Etsi titulus sit latinus, sermo tamen Italice scriptus.
10. De somniis. Ad Clementem Bonifacium Arculensem.

In utroque codice Ivaniano habentur orationes pro iis, qui magistratum assumebant tam Volaterris, quam Pistorii, et insuper duas ad Clementem Bonifacii Arculensem, alteram de virtute inter conjuges necessaria, alteram in funere Antonii Trinchedii. Neque desunt poeses Italicæ, et latinæ, et inter Italicas, singularis est illa, quæ inscribitur *Frotula* proverbiis referta, et digna, ut ab iis, qui lexica italica scribunt,

(a) Extat in Cod. Ivaniano primo Epist. n. 91.

spolietur. Summopere vero commendanda est ejus historia de calamitate Volaterrana stilo puriore scripta, quam Ludovicus Antonius Muratorius edidit sub titulo Commentarioli de bello Volaterrano (a). Bandinius indicat (b) aliam Ivani opellam *De situ urbis Romæ* Laurentio Medices inscriptam, cujus mentionem injecit Mehus (c) sub titulo *De vetustis ædificiis civium, et Principum Romanorum*. Est compendium descriptionis Romæ a Flavio Blondo editæ, ut ipse Ivanus, et cum eo Mehus, et Tiraboschius (d) declarant, sed nunquam typis evulgatum.

Ivanus reliquit codices duos chartaceos operum suorum, qui diu fuerunt gentis Ivaniæ, a qua demum Sebastianus Calanus Sarzanensis emit. Hi permanserunt apud Calanos ad Augustinum usque, qui fuit ultimus gentis suæ, et qui priorem horum codicum dono dederat Eq. Jacobo Philippo Durattio Genuensi. Ego, cum Genuæ diversarer, obtinui a filio ejus, ut transcriberem, et transcripsi. Codex secundus post mortem Augustini ad uxorem ejus transivit, eaque mortua, pervenit ad Leonardum De Rubeis legum doctorem, cujus hæredes mihi vendiderunt, et hactenus eum teneo. Antonius Magliabecchius possidebat, et magni faciebat codicem quinquaginta epistolarum Ivani, qui postea fuit bibliothecæ Magliabecchianæ.

Honorifice loquuti sunt de Ivano Marsilius Ficinus, Antonius Bracellius, Ludovicus Antonius Muratorius, Laurentius Mehus, Tiraboschius, Raphael Sopranis, Ippolytus Landinellius, Bonaventura De Rubeis, Joan-

---

(a) Murat. In script. rer. Ital. tom. 23. p. 3. et seq. Desumpsit e manuscripto Florentino, sed habetur melioris lectionis in codice Ivaniano secundo sub titulo *Antonii Hyvani Sarzanensis Historia de Volaterrana calamitate. edita anno Domini MCCCLXXIIJ.*

(b) In Catal. codic. latinor. Biblioth. Mediceo-Laurentianæ p. 29. cod. X.

(c) In præfatione ad vitam Ambrosii Traversari p. LIV.

(d) Stor. dell' Ital. Letterat. Modena 1790. tom. 6. part. 2. p. 710.

nes Targionius Tozzettius, Joannes Andres, Caspar Odericus, Joannes Baptista Spoturnus, Emanuel Gerinius (a).

APPENDIX

DE CORSICA

ANTONIUS IVANUS CICHO SIMONETÆ DUCALI SECRETARIO VIRO PRÆSTANTISSIMO S. D.

Postquam in his laboribus, et angustiis conjectus sum, amplissime vir, præter litteras tuas nihil mihi jucunditatis allatum est. Antea enim etsi tuæ humanitati plurimum deberem, nunc tibi quam digne sim gratias habiturus, hand plane intelligo. Referrem libenter, ut meo in te officio satisfacerem, sed quia opulentissimus neque indiges tenui amici dono, neque aliquid hic in presentiarum invenio, quod tuæ amplitudini recte conveniat, solum scribam aliquid ad te de rebus Corsicanis, ut quemadmodum notitia omnium maximarum rerum ad virtutis tuæ præstantiam variis temporibus advolavit, sic et rectius intelligere possis, quo vitæ genere Corsi a cæteris Italis differant.

(a) Ficinus Oper. omn. Basileæ 1561. tom. I. p. 784. Bracellius in Epist. a me edita in Appendice. Muratorius in Rer. Ital. scriptor. tom. 23. p. 3. Mehus in Præfat. ad vitam Ambrosii Traversari p. LIV. Tiraboschius in Stor. della Letterat. Ital. tom. 6. part. 6. p. 710. Sopranis in Scrittor. della Ligur. p. 37. Landinellius in Ist. MS. di Luni e Sarzana cap. 47. De Rubeis in Collettan. copiosiss. MS. sopra Luni e Sarzana lib. 3. cap. 13., in Relaz. del prezios. Sang. Massa 1708. p. 65., et in Vita di Nicolò V. Milano 1716. p. 27. et 53. Targionius Tozzettius in Viag. in Tosc. ed. 2. tom. 12. p. 96. Andres Lett. all'Ab. Morelli Parma 1802. p. 14. Odericus Osserv. MS. sopra l'Ivani apud Durattium, et apud me. Spoturnus in Stor. Letterar. della Ligur. tom. 2. p. 15. Gerinius in Memor. della Lunigiana tom. I. p. 87.

Quingenta millia passuum totius hujus insulæ ambitus esse fertur, cujus habitatores, etsi omnium pene bonarum artium expertes censentur, minus tamen id invenio, quam sit opinio eorum, qui soli famæ credunt. Si enim de hujusmodi rebus recte sentio, parum hi a ruralibus Campanis, et a maritimis hominibus Romani agri differunt. Lingua meo judicio, et vivendi ritu hand multum impares esse video. Verum hi sunt corporibus aliquantulum incultiores, eosque ad mutationes, et ad versutias longe magis paratos invenio, nec sane mirum. Habent enim inter se multas, ac varias factiones, suos habent tribunos, capita scilicet plebis, qui caporales vulgo appellantur. Illis etiam principes nonnulli sunt parti cuidam insulæ libero dominio imperitantes. Hi sæpe inter se dissentiunt, et ab eis oriri solet mutationum causa. Nam cum regionum suarum asperitati confident, et neminem sibi nocere posse arbitrentur, suis quidem rebus contenti non vivunt. Quin finibus egredientes rapiunt sæpe aliena per insulam debachantes, et postquam vim tenuioribus intulere, multa comessationibus absumpserunt, ad arces, et loca natura munita se se recipiunt. Hinc sæpe oritur seditio popularis. Caporalium alii favent rapinis, illas alii prohibent. Hunc alii, illum alii sequuntur. Quæ res nullam affert mihi admirationem, cum insula hæc villis, et vicis, paucissimis admodum arcibus, et oppidis referta sita. Liberum genus liberam hebet tumultuandi facultatem. Duo inter cætera me ad risum provocarunt, ritus videlicet militaris, in quo Romuleos pastores priscæ illius militiæ videre videor, et ea, quæ funeri concedunt. Verbo hæc referam, si licebit, cum ero apud claritudinem tuam, ne epistola hæc ad historiam transferatur. Juramentis quoque parum fidei adhibent, nisi ad oratorium quodam divi Antonii conveniant, id enim situm in loco, qui dicitur Campus lorus, aut venerantur, aut metuunt. Cætera parvi faciunt. Ridiculum est videre quo studio longis itineribus ad illud oratorium in causis eorum privatis jurandi causa multi homines concurrunt. Quæ res plurimum adjuvat magistratum. Nam in rebus, quæ per testes facile probari non possunt, nec publicis apparent documentis, hujus-

modi refugio utuntur. Mos autem causidicorum haud aspernendus est; nam sine libellis agunt, sine imperatorio, vel civili jure; solis eorum institutis, et rationabilibus argumentis ante tribunal voce contendunt. Neque credas illos eloquentia carere, vel dissimulandi arte. Absque Cicerone oratores facti sunt, jurisperiti sine legibus, dialectici absque præceptionibus. Hæc experior quotidie, et tecte nunc scio, quam difficile sit tantæ multitudini jus administrare, et in tam diversis factionibus continuo versari.

Triginta millia hominum, et forte plura huic meo magistratui parent, et hi parent, qui in libertate vivunt. Quæ res indicat, Corsos non esse adeo perversos, ut nonnulli prædicant. Nam si pars ulla nostrarum regionum frequentibus oppidis, urbibus, arcibusque careret, ejusmodique partis incolæ tanta libertate fruerentur, nescio an laudabiliorem his vitam ducerent.

Ego autem, etsi agam apud homines tumultuarios, et hoc vitæ genus mihi satis molestum sit, existimavi tamen esse virtutis laudem illis inservire, qui onus hoc debilibus meis humeris imposuerunt, tum quia illis debeo, tum etiam quod ingrati esse non consueverunt.

Jucundum præterea mihi fuit accepisse litteris amicorum fœdus ictum inter Majestatem regiam Francorum, et clarissimum Principem tuum Franciscum Sforciam, tum quia res ipsa libertatem, et quietem Italiæ concernere videtur, quod Magnifico Domino Ludovico Campofregoso, et Thomasino carissimo ejus nepoti, quibus patria paret mea, tui fortunatissimi Principis amplitudinem placere admodum intelligo. Fausta utinam sibi, tibi, et nobis, feliciterque succedant. Vale. Bigulia Corsicæ VII. Idus Mart.

PARITER DE CORSICA.

Antonius Ivanus D. Nicolao Lucensi viro præstantissimo S. D.

Cupis a me reddi certior, quot, et quæ oppida, urbesque, ac Episcoporum sedes in Corsica existunt, quo genere fructuum ipsa insula copiosior sit, et qua exercitii voluptate magis capiuntur homines Corsicani. Primum satis mihi constare arbitror, aliud parum, nisi

ut fama fertur; tertium vero ita mihi est inpromptu, ut adhuc videar tam sordidos eorum mores abhorrere. Verum postrema hæc pars explicabitur duplici ratione, cum ex triplici Corsorum generibus vivendi ritu duo tantum esse intelligantur.

Ut enim breviter ad rem veniamus, et tuæ, ut certe debeo, morem geram voluntati, sex Corsica Episcopatus continet, Aleriensem, Maranensem, Sagonensem, Glacianum, Ampognanicum,. Nebiensem. Primi tres commodo, et honore præstantiores esse feruntur. Reliqui vero posteriores inter parum, et nihil constituti satis habent dignitatis nomen retinere. Hos omnes Aleriensis dignitate, et redditibus antecedit, cujus annua utilitas duarum millium librarum numorum Genuensium esse constat. Cæteri declinant gradatim usque ad trecentas.

In his Episcopatibus archidiaconi sunt, plebani, canonici, et alia sacerdotum turba imperita, ex quibus plures, quid grammatica sit, ignorant. Quin ego quamplurimos vidi missarum verba vix legere scientes, et explicare. Concubinis indulgent plurimum, quarum parentes aut germani satis nobilitari putantur more patrio, si cum sacerdote contrahunt ejusmodi affinitatem (a). Ex his omnibus pauci sunt, quibus Ecclesiarum suarum beneficia trecentas Genuenses libras afferant utilitatis. Urbes in eadem insula nullæ sunt longo jam tempore. Quatuor extant oppida, Bonifacium colonia Genuensium, Calvium, Bigulia, et Sanctum Florentium. Cætera omnia, præter nonnullas arces, sunt loca sine mœnibus, ut puta vici, et villæ, sparsaque tuguria, quibus nulla publici edificii memoria extat.

Fruges autem, et fructus insulæ hi esse dicuntur. Triticum abunde, si erit annona fertilis; at si erit annonæ caritas, coguntur multi cum uxoribus, et liberis in agrum Pisanum, Senensem, et Romanum transfretare. Vini magna illis copia est maritimi magis, quam montani, hordeum, castaneæ, mel, linum, oleum oli-

(a) Hi mali mores ex Corsica evanuerunt, et sacerdotes ejus omni virtute nanc præstant.

varum, caricæ, cetrones, pisces, pecudum, et armentorum ingens numerus. Ager uberrimus in planitie, quæ modica est, sed melioribus quippe cultoribus indigens. Quem enim admodum sunt ad agriculturam segnes, ita quidem et omnia humanæ vitæ ornamenta negligunt inculti, barbari, eereati. Horum mores, quoniam ad postremam partem narrationis nostræ pertinent, eam aggrediamur.

Tria, ut supra memoravi, sunt Corsorum genera, tyranni, caporales, multitudo plebis. Priora duo eodem fere vitæ genere utuntur. Juvat eos equitare, jaculari, adversa inter se moliri, sæpe jurgiis, et rapinis intendere, indulgere plurimum ventri, ac turpissimæ parti corporis, honestatem vitæ negligere, crapulationes, turpitudines, et arrogantiam sequi. Plebs vero, quamvis corpore incultissima, liberalis in paupertate sua est, justitiam colit, ejusque ministros, et modo sint recti, non solum veneratur, sed pro diis habet. Huic ergo hominum generi compatior, et eorum sortem recolens doleo, ipsos ad perferenda mala omnia natos esse.

Familiæ tyrannorum septem sunt, duæ e Capite Corso, quinque Cinerchenses, Caporalium quindecim, quas enumerare supervacaneum esset. Hæ omnes diversis factionibus plebem trahunt. Postremo ut omnes distinctiones Corsorum paucis complectamur, Sacerdotes, tyranni, caporales, pauci mercatores, agricolæ, nautæ, pastores, causidici, feneratores, fures omnem insulam possident.

Tuæ nunc petitioni satisfecisse arbitror, præstantissime vir. Quod si ita erit, letabor plurimum; si vero minus, jube iterum, et curabo adimplere si quid prætermisero. Tuam autem optinam erga me voluntatem eo accepi animo, quo debui. Cum opus videbitur, de te periculum faciam. Vale, et me, ut consuevisti, ama. Sarzanæ Kal. August.

DE CALAMITATE VOLATERRANA.

ANTONIUS IVANUS LAURENTIO MEDICES VIRO CLARISSIMO S. D.

Dive Laurenti, cujus bonitati, ac sapientiæ Deus aspirat, civitas annuit, populi gratulantur, potentates obtemperant, da quæso benignam operam, ut in tanta

victoria, quam oblato se mihi augurio superiore anno pluribus hic audientibus prædixeram, victis parcatur supplicantibus, et vulgata Florentini populi clementia etiam erga supplices Volaterranos ostendatur. Attinet enim ad excellentes animos non omnia metiri, quæ fatuam forte offensam fecerint, sed ea cogitare, quæ et, consequente victoria, tutelam, et victi populi si non lætam, saltem moderatam salutem aspiciant.

Quem enim admodum (Quemadmodum) tuæ inclitæ urbi gloriosum est tanto robore virtutis oppidum adeo firmum, adeoque munitum brevi superasse, sic et parcendo velut æternam misericordiæ laudem invicta tua civitas consequetur. Constare quidem dicitur, paucos Volaterranos per præcipitia tendentes magis concitasse alios, quam pluribus mansuetis credidisse. Vale. Sarzanæ VI. Kal. Jul.

LAURENTIUS MEDIX ANTONIO IVANO S. D.

Compulerunt me litteræ tuæ ornatissimæ, officiosissimæ, ut etiam occupatissimus responderem. Placent mirum in modum tuæ monitiones, utpote quæ virum bonum, et sapientem deceant. Eas ego a te accipio velut ex parente Non carebunt Volaterrani Florentina clementia, et facilitate. Direptio urbis æque nobis molesta fuit victoribus ac victis Volaterranis. Missa jamdudum sunt Ducatorum duo millia, quibus redimi possint, quantum erit in nobis, direptæ res, et ego tuis maxime rationibus adductus nihil pretermittam, quod ad conservationem et salutem rerum Volaterranarum pertinebit, tibique habeo gratiam, qui ita amice, officioseque monueris. Vale. Florentiæ Kal. Jul.

JACOBI BRACELLI EPISTOLA AD IVANUM.

CLARO AC DOCTISSIMO V. ANTONIO IVANO APUD SARAZANUM.

Si meo more mihi, rebusque meis consulturus forem, nullo certe pacto a magnifico domino Ludovico fidem unquam scriptam peterem, nec, si mihi offerretur, annuerem; eam enim de integritate, ac virtutibus ejus opinionem dudum conceptam habeo, ut ad ea, quaæ jus, fasque fieri vetant, nullo unquam modo de-

flecti queat. Sed cum in eo, quod dicturus nunc sum, non tam consilium, quam opera mea deposcatur, æquum esse duxi in alienis rebus alienæ voluntati morem gerere. Francus Marrufus gener meus ceram, et sericum, quasdamque alias merces Pisis reliquit ad alios magis, quam ad se pertinentes, quas cupit huc ex ea urbe afferri, dat operam, ut quantum humana prudentia valet, omni periculo eximantur. Delegavit curam mihi, ut pro his, ejusmodique mercibus, proque se, ac navigio, quo ea advehi contingat, fidem scriptam impetrem a magnificentia sua, et quidem generalissimam, quæ perduret menses saltem duos. Oro igitur te, ut cum me humanitati suæ non vulgari prece commissum feceris, hunc ab eo Salvumconductum impetres, perficias, mittas, vel, si quid obstaret, mittas saltem exemplum, ut, eo inspecto, possit Salvumconductum redimere, si eo voluerit uti. Interim vale, meque magnificis matronis Dominæ Catarinæ, Domineque Ginebræ commissum facito.

Jacobus Bracellius tuus.

Hæc Bracellii epistola ad Ivanum caret die, et anno, neque unquam edita fuit. Extabat Genuæ manuscripta in Bibliotheca Beriana, nunc civica Genuensi, eamque transcripsit, et ad me comiter misit Præsbiter Paulus Rebuffus in Lycæo magno Genuensi humaniorum litterarum Professor perinsignis.

Antonius Bertolonius.

DE EXCIDIO (*commentitio*) LUNÆ.

Antonius Ivanus Petro Puritati S.

Scripsissem ad te jampridem, Puritas, aliquid litterarum mearum tum benevolentia, tum familiaritate nostra, ne alium me putares, quam antea cognoveras; sed cum novi nihil acciderit, præterquam morbo quodam gravabar, obmittendum constitui, ne plus amaritudinis tibi litteræ, quam jucunditatis attulissent. Recta modo valetudine, Deo favente, restituta, satisfaciendum decrevi, sed longe magis, quam antea. Nam pro egritudine valetudinem, pro verborum penuria novum

accipies opusculum, idque non perornatum, ut tua meretur præstantia, neque sententiarum gravitate compositum, ut hujusmodi negotio conveniret, cum nulla sit in me vis ingenii, nulla memoranda facultas, sed rei summa paucis attinges. Quid hoc sit, nunc intelliges, ne longiore te sermone detineam.

Cum his diebus liber quidam historiarum vulgaris, auctorem cujus aiunt Leonardum fuisse Patavinum, ad manus venisset, ipsumque propter quandam verborum gravitatem, et ordinem rithmorum libenti studio lectitarem, historiam excidii Lunæ fato quodam adiuveni. Quamobrem existimans omnem illius urbis memoriam (si quam retinebamus) cum cæteris rebus flamma periisse eam sane historiam ex vulgaribus rithmis tum gratia tui, tum patriæ, cui plurimum debemus, in latinum studio meo conversam ad te mitto, ne illius omnino memoria careamus, ex qua non originem modo patria, sed spiritualis etiam dignitatis hæreditatem traxit. Eam igitur legas velim, Præstantissime vir, et nisi indigna tibi videatur, cæteris legendi copiam facias. Vale.

Sequitur narratio de excidio Lunæ per Leonardum Patavinum.

Fuerunt quidem ea tempestate, qua Romani diu jam libertatem, et imperii magnitudinem amiserant, in occidente populi Danenses appellati sine lege, sine moribus, inculti, pravique, vita quorum magis latrocinio, quam bonis artibus ducebatur. Nam quamprimum a Romanis Imperatoribus defecere, sive rege, sive imperio cujusquam regebantur. Sparsi vagantes aperte modo spoliare peregrinos, modo finitimos ex occulto prædare. Suam quisque voluntatem pro lege statuebat, neque turpem famam, neque Deum timere. Sed ubi ex pessimorum frequentia rapinæ, cædes, bella intestina, tamquam perniciosa pestis, invasere, brevi magna pars eorum loca natura munita, cæteri vero alia loca propinquiora litoribus occupavere. Illi quidem, quam ut antea habebant, ad eamdem vitam iisdem pene moribus finitimos nitebantur. Hi autem, quibus id studium propter locorum importunitatem defuerat, statuerunt

alio modo fortunam tentare. Cum igitur et planitiem quamdam (licet aridam), et litora propinqua possiderent, agriculturam pariter, et classem piraticam decrevere, quibus vitam, quacumque possent arte, substentarent. Nam multis jam annis a commerciis desueti, quo et fidem, et opinionem bonitatis apud exteras nationes amiserant, ad ea quadam necessitate cogebantur animadvertentes nequaquam ..... agi posse propter varias tot mortalium opiniones. Duos ex callidioribus viris elegere, Her videlicet, ac Divismarch viros audaces, et subdolos, quorum ingenio commodius utrumque negotium procederet. Deinde post paucos menses comparata classe .... biremium, et alius generis navigiorum copiosa, quæ sorte Divismarch obvenerat, ac ex validioribus viris integra legione delecta, secundantibus ventis, dux in altum contendit. Nonnullis itaque diebus errantes flagitiosissimi viri non multum ad navigationem experti Normandiæ tandem fines ob diutinam pacem opulentissimos applicuerunt, ubi duobus oppidis, quibus armorum nullum monimentum erat, manu ex improviso captis, prædas ex proximioribus locis agere, singulis diebus incendio, et clade omnia miscere. Tanta enim erat in eis atrocitas, tanta vis cupiditatis, ut nihil humani, nihil omnino pudoris haberent, et nisi adversus eos propere Normandi comparassent exercitum, profecto depopulationibus incommodis, cladibus longe majoribus, et incendiis provinciæ reliquum devastassent. Collectis igitur quæ manu rapuerant, ad litus hostium metu se se recipiunt, ibique lætari, gloriari, alius alium appellare, sua quisque facta ad cælum ferre. Dux autem alium modo, modo alium laudare, hortari, ac, ne desisterent a cæpto jam facinore, majora polliceri. Quamobrem est inter eos orta contentio, cum alii ad lares redeundum, alii, quos cupiditas major invaserat, facinus prosequendum censerent. Sed quoniam ex ea contentione seditio vehemens oriebatur, Astench unus ex primatibus, vir maximæ ambitionis, et litteris admodum eruditus, qui apud Siculos ætatem ab ineunte adolescentia usque ad exactam ferme juventutem consumpserat, advocata concione, ut res postulabat, hujusmodi orationem habuit.

Admirans equidem, socii, vehementer admiror nonnullorum sententiam, qui ab inceptis revocandam classem adhortantur, ac si divitias adepti essent, maximosque honores consecuti. Sed respondeant quæso, ubi hæc sunt, quam adhuc urbem subegimus, quam reportavimus famosam victoriæ laudem? Vix mensis elapsus est, quod inopes hanc fortunam tentamus, et jam velle videmini secundis rebus finem facere. Non est consilium, socii; nam quanto minus a classibus adversamur, tanto majori studio nitendum est; animi nobis vigent, valet ætas, fortuna secundat. Quid reliquum est, nisi ut ingenia nostra, viresque experiamur? Renovate animos, et communem hanc urbis fortunam capessite, ne semper in ærumnis degamus pro vestris uxoribus, liberis, et piis matribus, quæ forte vos ita monuerunt, divitias, gloriam, et honores amplexamini, quibus et ipsæ aliquando gratulentur, et demum vitam nobiscum felicius agant. Classem construximus, non ut ex miserrimis illico miserrimi rediremus, sed aut moriremur, aut ne frustra tantum videremur opus composuisse. Sed per Deum immortalem nequaquam est verendum; nam et maria nunc admodum tuta sunt, et multæ nationes incautæ, quo facilius invadendi, tandemque, si opus esset, evadendi viæ patebunt. Quare censeo ducis opinionem cæteris rebus anteferendam, ut hac videlicet nostra classe Romam petamus urbem magnam, et opulentam. Nam cum ejus maxima pars (ut accepimus) jam deserta sit, ingenio quidem nostro facile superandam existimo. Sin hoc autem commode fieri nequiret, aderunt aliæ urbes non procul ab oris maritimis conditæ, quas forte pigebit nostrarum calamitatum commiserationem habuisse, si relinquamus. Itaque litus hoc nobis infestum, secundamque fortunam prosequamur, ne ex dissidiis fortasse vestris indignationem concipiat, et mutata, vos pœniteat eam contempsisse.

Postquam Astench loquendi finem fecit, alius alium increpare, movere, hortari, omnes propterea sententiam ejus approbare, crebris tandem clamoribus in classem reversi. Paulo post versus orientem iter maturant, qui ubi nocte quadam prope Lunam in Tusciæ

finibus ab occidente conditam, urbem satis amplam, et candidis admodum marmoribus exornatam attigere, statim ab exploratoribus duarum biremium, quas ex consuetudine singulis noctibus præmittebant, accipiunt se Romam perventos, arbitrantes eam non ultra quatuor stadia a mari distare, ut ex inepta quadam navigandi doctrina perceperant.

Quamobrem non inconsulte, sine strepitu, sine clamore biremes in flumen urbi vicinum, licet ob sirtes in ostio perangustum, inducunt. Cætera vero navigia, quæ longe minus tumidis jam fluctibus quassabantur, demissis anchoris prope litus adligant; sed cum ea nocte in urbis majori templo vigiliis, ac devotione pro Salvatoris nativitate celebraretur, ibique cives complurimi (ut assolet) convenissent, hujusmodi verba quidam adolescentibus canens Epistolam pronunciavit: Adverte, Luna, classis adventæ periculum, animadverte. Quibus auditis, intueri jussit Episcopus, an ita scriptum esset, quod minime scriptum accipiens non sine stupore quodam adolescentulum objurgari fecit, at ille prosequens iterum, et eadem verba pronunciabat. Confestim cives tum prodigio, tum repentino metu perculsi discedunt, qui adventante diluculo classem ante faciem urbis animadvertentes arma capiunt, vigilias circum imponunt, alii tumultum faciunt, nihil aliud quam siscitandi causa diem expectare. Interea Dani, etsi postquam descenderant, illam Romanam urbem non esse cognovissent, constituere tamen invadendi viam tentare; nam, adversantibus ventis, necessario moram trahebant. Igitur Astench summo mane cum paucis ad civitatem missus, qui simulando veniam oraret, quoniam libere litus petiverant, nocti culpam, et tempestati daret miserando salutem non infestæ classis, atque rerum venalium copiam deposceret; item polliceretur, eam, pacatis fluctibus, abituram, retulit, Episcopum, præfectosque populi benigne singulis annuisse. Tunc ad urbem multi proficiscuntur, quorum alii res novas, et inusitatas vendere, alii emendi gratia cum civibus ingredi, nonnulli cum civili juventute jocare, ac luctandi, raculandique (sic) agitare, quosdam ad castra ducere, ac deinde cum eis

reverti. Tanta fides, tanta brevi familiaritas affuit, ut a Lunensibus omnis pene suspectus adimeretur. Sed illi quidem infestos animos callide occultantes die noctuque nihil aliud quam prædam, et incendium excogitabant. Erat urbs . . . . . armis, atque divitiis opulenta, neque factionibus ullis, neque seditionibus animi civium vexabantur. Quamobrem manu timentes viri scelestissimi tantum facinus aggredi, ne, si tentassent frustra, sibi ipsis perniciem attulissent, dolis id exequendum constituere. Divulgarunt igitur, eorum ducem, quem, ut rectius loquamur, archipiratam possumus appellare, quodam ægritudinis morbo gravari; quapropter mestitiæ multum simulabant. Deinde post quintum diem ab excubiis mœnium audiuntur vociferationes crebræ media nocte per litus emissæ, præterea crebris cum facibus plerique vagari videbantur. Excubiæ civibus hoc referunt, ac statim perspectum reddunt. Quid illud significaret, recte nemo intelligebat. Postero vero solis ortu Danensium oratores ducem simulate nunciant ea nocte morbo, quo gravabatur, assumptum, locisque religioni dedicatis ex testamento magnum argenti pondus reliquisse, deposcentes ob digniorem viri jam singularis venerationem sepulcri locum in templo, quod supra memoravimus, concedi.

Quod ubi facile obtentum est, ad castra revertuntur, funeralia parant, legionis tertiam partem secreto (ut ordinaverat) armari jubent, armaque clamidibus tegi, ne quo pacto cerni possent. Ducem quoque armatum prosternunt in feretro, ipsumque funeralibus ornamentis operiunt. Interea Præfecti urbis, centuriones, togatorumque maxima pars obvii procedunt. Illi quidem armatos instructe, lentoque passu, ne arma concuterent, subsequi feretrum edocentes urbem simul cum civibus ingrediuntur, Astenech in castris cum reliqua parte legionis relicto, qui, signo dato, propere subsidio foret. Ubi vero feretrum ante majus altare deposuerunt, ac ordinata proditorum manus convenit, dum funus exequeretur, dictus, quem mortuum simulaverant, dato signo, confestim insurgens Episcopum novitate rei trepidantem ferro aggreditur, vulnerat, suisque demum lictoribus obtrucandum relinquens ar-

matos ad cladem cæterorum magna voce compellit. Lunenses autem, inexpectata proditione perculsi mox in eos impetum faciunt, sed gladii compressi cadunt, alii fugam arripiunt exire conantes, ut arma caperent, universumque populum ad vindictam tanti sceleris provocarent, verum a Danensibus impediti, qui limina templi jam jam obsederant, inique trucidantur. Astench interea, præmissis viginti delectis, qui portam claudi prohiberent, eam magna manu sequente invadit, interfectisque custodibus, qui oppugnando se probe gesserant, ingreditur. Ex civibus tunc alii fugiunt, alii arma capiunt. Commota omni civitate tum hoc, tum primo insultu, prælium incipitur; multi ex utraque parte laniati cadunt. Cives enim, adolescentulis, atque mulieribus ex alto juvantibus lignis, igne, lapidibus, hostes fundunt, fugantque; sed illico subvenientibus, qui parum antea cladem fecerant, suos a fuga revocant, ac simul in cives maxima vi concurrunt. Ibi fortiter undique certabatur. Tela partim volare, partim quominus emissa vulnerabant. Quisque Lunensium præfectus omni studio curare suos, hortari, ac ibi maxima pars trucidatur. Cæteri vero, quibus aliquantulum carior vita fuit, relictis uxoribus, et propriis liberis ad montes propinquos confugerunt, ex quibus impigre circumjacentes populos ad succurrendam urbem sollicitabant. Danenses autem, postquam eam defensoribus privatam, ac se tutos viderunt, in adolescentulis, infantibusque, quos in abditis locis reperiebant, ac mulieribus nonnullis depopulationem nectentes miserandam stragem fecere. Demum post quatuor dies, quibus intenti prædæ fuerant, intelligentes confluere magnam armatorum frequentiam in locum urbi vicinum, ammissis prælio multis, Lunam tabefactam, funestam, corruentem, et incensam reliquerunt; sed antequam locum attingerent, unde primum discesserant, capti a Normandis, qui propter acceptam injuriam ipsos famosa classe prosequebantur, condignas tantæ sevitiæ pœnas luere.

DE GUARINO

ANTONIUS IVANUS REVERENDO PATRI D. HYERONIMO ABBATI MARCHIONI MALASPINÆ S. D.

Quemadmodum magis oblectant oculos res distinctæ coloribus, quam quæ uno tantum colore conspiciuntur, ut pratum viride, si diversis floribus est refertum: ita quidem et humanæ menti lectoris avidi majorem delectationem afferre solet varietas, quam semper eadem ratio lectionis. Non est ergo mirandum, si Guarinus Veronensis vir eruditionis, et elegantiæ singularis, cujus fui auditor, singulo diluculo tradebat lectiones suas, utputa Lucani, et Tusculanarum, aut Virgilii, et Officiorum Ciceronis, et illas quidem perbreves. Nam, tradendo solam, oportuisset eam perducere ad horam integram, quæ hora pro more duas breviores, ac diversas lectiones complectebatur. Eum legendi ordinem servabat senex gravis ætate, ac sapientia, ne auditores eadem assidua lectione fastidiret, quanquam erat adeo suavis in omni sermone, perfacetus, et gravis, ut ego sæpe illum appellarim virum divinum. Mores, continentia, eruditio, majestas ejus ita poscere videbantur. Egregias virtutes tanti viri declaravit civitas Ferrariensis, in qua diu vixit, ac postremo obiit. Omnes enim et aulicorum, et civium ordines suum funus adeo celebrarunt, ut solemni pompa per celeberrimos urbis vicos ejus cadaver deferretur propriis nobilium, ac doctorum virorum humeris. Quod si ejus anima cœlos penetrasset (nam sic est sperandum de bono, docto, modesto, et religioso viro), id esset profecto, quod me longe magis de amisso præceptore consolaretur. Imitabor igitur in hoc disciplinam suam, postquam ab eo parum aliud excerpere potui. Proinde solutas orationes interdum Joannes Georgius excipiat a me, ne forte illum fastidiat assidua lectio nostrarum epistolarum. Forte secum illudet amico homini plura exponenti, quam postulentur. Si sic fecerit, illudat ei, qui se totum posuit in sinum suæ mansuetudinis. Tu autem, Venerande Pater, noli quæso

indignari, si te coadjutore utimur in litteris transmittendis. Ille a te petit jure consanguinitatis, ego jure tuæ humanitatis. Rogo, ut in hujusmodi obsequio communi benigne perseveres. Vale Sarzanæ. Stat in Cod. Ivan. 1. n. 259. p. 182.

Vide etiam aliam de hac re epistolam in codice Ivaniano secundo p. 64. versa.